



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. De matrimoniis Calvinistarum, & eorum confusione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

messandum, eoque in duas partes secto, dimidiam daret virgini cuidam, inquit, Celebremus vna Coenam. Ea reuerentiam, quam in max. me solenni Religionis suæ actu adhibent: nunc reliquias, Ceremonias, & quidem proxime matrimonia illorum videamus.

DE CONFUSIONE MATRIMONIORUM APUD CALUINISTAS,

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

- I. De matrimonio Caluinistarum, & eorum confusione.
- II. Idem ob commissum adulterium alteri nubendi suis faciunt potestatem.
- III. Quibus ex causis maritici uxores repudiare licet.
- IV. Quibus ex causis uxori etiam vivente marito alii licet nubere.
- V. Complurimula eiusmodi repudiorum historiae.
- VI. Vera historia qua Genoua contigit.

I. **E**tiam si in Sacramentariorum numero non habeat Calvinistica hæresis Matrimonium, tunc deatque e nomine Tertullianum & S. Augustinum, qui vna cum reliquis veteribus Christianis, hoc nomine frequenter illud insigniunt: nobis tamen de eo dicendum est aliquid. In Francia desponsati in concione se sistunt: ibi eos Minister, nulla intercedente ceremonia, precatione aut benedictione, matrimonio copulat. Mos diu obtinuit, ut matrimonium non nisi in exordio concionis, & ante preces, celebraretur: ne scilicet, Sacramentale aliquid illi inesse, per errorem existimaretur. Sed quum id non nisi in conspectu populi fieri posset, ex quo fiebat, ut multi interea ligarentur magicis artibus, crescente vna cum hæresi hoc genere incantationis. (id quod vnum est ex signis Antichristi Regnum præcedentibus) introductum est pluribus in locis, ut ad finem vsque concionis hic actus suspenderetur, & dimisso demum populo celebraretur. Graduum, consanguinitatis, nisi inter fratrem sororemque, rationem non habent: nam qui sunt his remotiores, sine discrimine iunguntur, ut fratrum sororumque inter se liberi, & aunculi cum neptibus, Caeterus vi-

dise se ait Synodos dissidentes inter se incautos nuptiis, quas approbauerint, decretoque suo earum celebrationem promouerint, alia rursus condemnauerint. Quin & alio crasso admodum errore idem laborare eos scribit, dum, videlicet, iis in locis, ubi libertas illi indulgetur, vni marito duas uxores copulent, & vnam uxorem duobus viris nuptum dent, dicitque ad id obtinendum nihil aliud requiri præter hanc vnam rationem, aut allegationem verius, quod nimirum prior coniunx Religionem sequi, & Geneuam aut aliud vna migrare detrectet, si, videlicet, vel vir vel mulier istius Religionis professionem susceperit: nam inter maritum & uxorem hac in re nullum discrimen ab ipsis statui, sed pari iure virumque censeri. Hæc Caietus, Maribus anno vicelesimo, & filiabus decimo octauo licet absque parentum consensu nuptias contrahere. Et si intra sex hebdomadas à celebratis sponsalibus non incedant coniugium, cogi ad hoc à Consistorio possunt, iuxta Geneuenses constitutiones.

II. Fornicationis causa ita dissoluitur apud ipsos coniugium, ut vtrique parti liceat ad secundas nuptias transire, contra expressum Dei verbum, & veteres Ecclesiæ constitutiones, quam plurimis iustissimis rationibus subnixas, quum mulier, quamuis adultera, nihilominus deuincta maneat viro. Diserte enim scriptum est, quod quicumque duxerit dimissam, committit adulterium: vnde sequitur, matrimonium adhuc durare. Et præterea hæc vox, dimissa, separationem lecti significat, non vinculi coniugalis: Nam quod Deus coniunxit, homo separare non potest. Itaque si mulier adulterij virum conuiccescit, potest, iuxta Leges Geneuensium, diuortium petere, & alteri nubere, & vir item aliam uxorem ducere. Tanti est ipsis matrimonium, habeturque pro contractu civili, à quo licent iterum discedere. Et interim clamat ex superiore loco vxoratus Minister, nos illos esse quos Apostolus voluerit indigare quum Nicolaitas Hæreticos, & alios matrimonium detestantes, notat. Verum non damnant Ecclesia matrimonium, tanquam rem illicitam, sed cum Apostolo Paulo docet, virginatatem castitatemque magis esse honorabilem. Notanda est præterea etiam hac in re illorum confusio. Monachorum ad Ecclesiam Catholicam, illorum Religione relicta, redeuntium coniugia, dissolui posse existimant auctoritate Magistratus, contra expressum Dei verbum. Nam si matrimonium illud est, non potest nisi morte dissolui: itaque hoc ipso tacite consentitur, matrimonium id non esse.